



Epithalamia Nuptiis,

Ornatissimi atq; Integerrimi Juvenis

DN. CHRISTIANI HANISII,

Viri Amplissimi Prudentissimi

Dn. JOACHIMI HANISII Consulis
Reip. Seryestanae gravissimi Filii

SPONSI,

ET

Lectissima atq; Pudicissima Virginis,

DOROTHEÆ CATHARINÆ

Viri Amplissimi, Honoratissimi, Prestantissimi

DN. CHRISTOPHORI BECKERI

Hæreditarii in Petniz Filia

SPONSÆ.

Celebratis Seryesta XXII. Junii

Anno cIs. 1sc. XXIX.

Nuncupata ab Amicis & Fautoribus.



WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

Ad Dn. Sponsum,

ET quid me versus, quid vota gamelia
poscis?

HANISI. non sunt hæc tempora versibus apta,
Tempora quæ mera bella ferunt, mala maxima vol-
E bellis, defleta satis deflendaq; nulli. (vunt
Omnia, dum meditor, vestris contraria cæptis
Occurrunt. martem video, dum rectior artem:
Dum costam, laudo castam, mox subjicit hastam,
Bellonæ suboles, monstrat pro virgine virgam:
Dum fingo pulchrum, pingit mihi penna sepulchrum:
Dum thalamum, pono, tumulum mihi penna reponit:
Dum lectum pango electum, lætumq; hymenæum,
Lætum, continuò deletum cerno hymenæum,
Inq; meis lethum ac lethæen obrepere chartis.
Ergò dent alii, quos vis, pro tempore versus,
Qui vestras deceant tædas oculosq; morentur.
Votum addo: Bellum bellissime JOVA repellas,
Aurea restituas optatæ munera pacis,
Et sponso ac sponsæ concedas commoda vitæ,
Omnia, quæ unius comitantur munera pacis!

Faciebam,

*M. Christianus Becmanus
Superinten. Servestanus.*

A 2

Musa-

Musarum nuper me carmina poscere praeses
 Durius ut capis: frustra me carmina poscis
 Poscenti dixi; cui vox nunc haeret, & olim
 Fontem siccarunt aestus Aganippidos unda,
 Materiemq; negant elegis nisi tristibus aptam
 Tempora. Sic ego: sed frustra: me fortius urfit
 Numen, & in calamum dictavit verba volantem
 Paucula, materiem letis applausibus aptam.
 Quam geminae Divae Veneris Cererisq; minister
 Integrae fidei multis è millibus unus
 Ignibus excoxit blandis (vulcania proles
 Nil habet haec juris, gens effera moribus:) escam
 Inter Hamadryadasq; loco occultavit ameno,
 Neptuni geminam tutam pro tempore natam,
 Utile ubi precis auxilium surrexit in auras
 Adversus Boream, si transmare forsan ad Austrum
 Impatiens rueret domiturus frigora flammis:
 Ecce ales vario dorsumq; caputq; colore
 Picta, caputq; simul fulvo diademate cincta,
 Docta melos cecinisse vigil plautusq; dedisse,
 Antipodum lustrat Phœbus dum lumine terras:
 Ales Hamadriadum nil umbris territa densis
 Neptuniq; nihil natas, Martemve morata
 Connubio binis, irato Numine, junctum
 Natabus, Neptune, tuis; sublime volatu
 Expansum superans ambit, damnataq; Voti
 Ecce videt, visamq; cupit potiturq; cupitâ.
 Si forte hæc oculos mentis caligo fatiget,
 Ardenti saltem voto obsignasse momento.
 Hactenus imperium: Voti cui clausula restat:
 Sint rata que scripsi calamo dictata citato:

O qui

O qui res hominum occulti Deus arbiter ævi
Eterno regis imperio, p̄is annue ceptis,
Non occulta tibi qua occultum anigma profatur!

Marcus Fridericus Wendelinus
Gymnasii Anhaltini Rector.

HAud Ego in hac majus quicquam contingere vitâ
Post gratiam Dei sibiq; conscium
Recti animum cuiquam censeo posse Patri,
Quàm si florentes videat pulchro ordine Natos,
Eosq; rebus obsequentes omnibus
Tandem exoptati pangere jura tori.
Filius iste tuus, Sponsum quem sistis ad aram,
Collega perquam amice, formosissima
Cui jam legitimo fœdere Virgo datur,
Nimirum teneris studuit tibi promptus ab annis
Obtemperare, nec recusavit Patri
Officiis quovis tempore adesse suis:
Nunc etiam, quando fuerat maturior ætas,
Quando videbatur legenda, commode
Cum quâ jucundum posset inire forum,
Non hic, quod videas mundi hac ætate juventam
Urgente factitare passim, feminas
Ut coeco ad quasvis impete cœca ruat,
Non ruit hic præceps juvenili percitus œstro,
Quò Nox proterva, quò Meri vis nescia
Recti, quò cœcum cœcus Amor raperet:
Sed Tua sed Matris monita æquâ mente secutus
DEO invocato quam Puellam quæritis,
Quærit, amat, poscit, Te duce ducit, amat.

A 3

Quis-

Quisnam igitur verè vel solo hoc nomine Patrem
 Te non beatum iudicet? quis non Tibi
 Gratanti applaudat carmine Voce Patri?
 Quî non conjugium felix hoc esse futurum,
 Quî non Patri Matriq; gratum, & Filio
 Ominor ex omni parte suâve fore?
 Faxit id, è cuius pendent nostra omnia nutu,
 Quo cuncta dirigente cedunt prospere,
 Quo sunt fausta Tori pacta beante, Deus.
 Alme dator Pacis, tandem ô miserere gementis
 Germaniæ, succurre lapsis illico
 Rebus, fac redeat Pacis amica quies!

*M. Petrus à Jena Servestanus Reip. Patriæ
 Consul & Illustr. Gymnas. Adjunct.*

Nascier antiquis, & claris ducere natam
 Stemmatis, multum, nubere sicq; pari.
 Namq; bonis bonus, ingenui, fortesq; creantur
 Fortibus; est in equis vis, animusq; patrum.
 In bobus, Barris, cervisq; leonibus, ursis
 Est genus, & Virtus, visq; vigorq; patrum.
 Non pariunt lepores tauri, timidusq; columbas
 Non generant Aquila, non cuculosq; grues.
 Sed partus sequitur Naturam quisq; parentum;
 Et fœtus similes procreat usq; sui.
 Sic arbor qualis, tales solet edere fructus;
 Talia sic thalami pignora, qualis homo.
 Sponse tibi fatis contingit utrumq; puellam
 Patricius generis ducis & ipse parem.

Laude

Laude quis ignorat dignum genus HANISIORUM?

Cura queis summum Curia in urbe Decus.

Quis WAGENITZIADUM stirpem amplam, factaq; nescit?

Consiliis quorum PUBLICARES viguit.

Quem BECCERORUM genus inclytum, & inclyta virtus,

Quem GERICCIADUM fama, Decusq; latet?

Omnes ingenui, fortes, Jurisq; periti;

Gloria quos semper Nomen, Honosq; manet.

O par compositum bene! claro stemmate clarus

En claram claro stemmate Sponsus amat.

O felix juvenis! digna conjuncte puella!

Quem mores, Pietas, sedulitasq; probant.

O digno conjuncta viro, faustissima virgo!

Quam bona commendat Fama Decusq; patrum.

Vivat uterq; diu; felici sidere Sponsus

Cum Sponsa subeat vincula casta tori.

Autor conjugii benedicat Numine tedis;

Augeat, amplificet stemmata prole nova.

Sic WAGENITZIADES, BECCERI, sicq; vigeant

HANISIANA domus, GERICIANA domus!

f.

Joannes Cramerus J. U. D.

Aliud ad eundem.

Sunt duo, quæ jungunt homines, faciuntq; creata
Cum paribus generis cuncta coire sui.

Sunt duo, queis crescunt animalia, multiplicantur,
Quæ duo sint, dixi. Tu quoq; dic eadem.

Eodem Autore.

Felices

Felices animæ, quas casti Numen amoris
 Ter sanctum accendit cœlitus igniculis.
 Uri hodie illicitis multos est cernere flammis,
 Transq; pudicitie septa silire sacra.
 Nocturnos ignes testor, testorq; diurnos,
 Conscia Luna tuos, conscie Phœbe tuos.
 Gaudet enim baud atra sub nocte latere, sed ipsum
 Audet fœda Venus nunc violare diem.
 Grande nefas, medios inter sacra pura professos
 Passim impura suum scorta tenere locum.
 O si, quos pœnes est, procul hinc procul ire juberent
 Christicolum è cunctis talia probra plagis.
 Dum tolerantur enim, rumpendi claustra pudoris
 Ansam seu cœlebs sive maritus habet.
 At quantas sancti succendit Numinis iras,
 Quamq; trahit pœnas spurca libido graves?
 Verè igitur, verè dico, quantisper apertis
 Currere tam video secla probrosa oculis,
 Felices animæ, quas casti Numen amoris
 Ter sanctum accendit cœlitus igniculis:
 Servat & immundâ fœdæ à contage catervæ.
 Intacti decus est grande pudoris honos.
 Has inter merito numero te, Sponse pudice,
 Te numero & Sponsam, Sponse pudice, tuam.
 Nam reliquas, inter virtutes sancta pudoris
 Indita suntq; tibi semina, suntq; Tue.
 Cœlitus indita sunt, ducta excrevere parentum
 Castorum: hinc vobis non nisi casta placent:
 Hinc omnem ætatem quavis à labe tueri
 Cura fuit, cura est, curaq; semper erit:

Hinc

Hinc utriusq; Patris monitus matrisq; secuti,
Sancitis casti fœdera casta tori.
Hic amplexus erit castus, casta oscula, casta
Unio erit casti corporis atque animi:
Hic manibus puris ac pura mente coletis
Ipsam, qui non est mens nisi pura, Deum,
Gignetisq;, animo qui puro & corpore puro
Illum, qui non est mens nisi pura, colant.
Hoc, precor, hoc faxit ter sanctum Numen & omni
Vos, castosq; omnes commoditate beet:
Donec in aetherias olim vos transferat arces
Coetibus & castis inserat aligerum.

Martinus Quelmaltz.
Pastor Ecclesiæ Anco-
nensis.

GAllus erat, patrii cui nausea pabula ruris;
Gallinæ patriæ nausea; nullus amor.
Gallus arenosas casulas exosus & agros,
Arva petit pinguis fertiliora soli.
Gallus abit, volitatq; animo confusus & alis,
Qua Mildæ spumans excipit Albis aquas.
Arva placent, placet almus ager placitura palato
Tâm pingui sperat pabula nata solo,
Nec ruris bonitas nec mentis opinio fallit;
Respondet votis exitus ipse bonis.
Vix ut finitimam fluvio pervenit ad urbem
Hospes, PISTORIS splendida tecta subit:
Tecta subit PISTORIS amans, votiq; potitus
Pabula jam reperit tritica amica gulæ:

B

Tritica

Tritica nec tantum reperit; sed gaudia GALLI,
 En gallinarum pulchrius agmen adest!
 Gallinas inter formam praestantior unam
 Hospitem ubi patriam vidit in aede novum,
 Miratur Gallum; caeco mox carpitur igni:
 Mox Divos supplex in sua vota vocat:
 Dii, quibus est rerum cunctarum summa potestas,
 Hunc o hunc captum ferte, tenete mihi!
 Audierant Superi nec vota injusta putantes,
 Sic dictis: GALLUS sit maneatque tuus!
 Pondus inest dictis: subito nam captus amore
 Gallinae, Gallus mutua vota facit:
 Dii, quibus est rerum cunctarum summa potestas,
 Hanc o hanc captam ferte, tenete mihi!
 Audierant Superi, nec vota injusta putantes,
 Sic: GALLINA tibi sit maneatque tua!
 Pondus inest dictis! Pura haec GALLINULA GALLO
 Divinum, Divum munere, Munus adest.
 Sic quem Servestana nequit, Desana reflectit!
 Cui non indigena; jam peregrina venit!
 Sic quam non poterant plures captare volucrum,
 Vidua in castes jam trahit una suos!
 Discite vos patriae gallinae! discite gallos
 Captandi, non vi, sed prece, amore, modum!
 Discite blanditias monitae, nec temnere gallos,
 Ne ludant miseras vos in amore proci!
 Quis non Sorbestum, sua gallinaria pandit
 Arctopolis, Sponso ceu sua Desna novo.
 Nempe Tibi, HANISI PISTORIS ab aedibus ales
 Advena in amplexus jam, CATHARINA, venit!
DORO-

DOROTHEA, eximiis virtute parentibus orta,
Orisq; & morum dote beata venit.
Gallinæ gemite ô patriæ! lugete puellæ!
At captum Gallum jam peregrina tenet;
Decretum factum; manet irrevocabile: habeto
Gallus Gallinam; DOROTHEAM HANISIUS!
Ergo Ego vobiscum, nullus lugebo gemamvé.
Quin Nuptis dicam vota precesq; novis:
Impleat HANISIUS fœcundo semine gentem,
Gallinæ excubitor nunciet ipse diem!
DOROTHEA expansis pullos tegat incuba pennis,
Cristatæ monitus prona sequatur avis!
Tu Deus, HANISIO CATHARINÆ pectora junges.
Pectora junges Deus DOROTHEÆ HANISII!
Sole domum, tùm prole torum felice secunda,
Ut similem generis cernat uterq; parens!

allusit
M. Ernestus Wülstorpius Scholæ
Servestanæ Rector.

F I N I S.



Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







uptiis,
ai Juvenis
ANI HA-

atissimi
NISII Consulis
imi Filii

Virginis,
CHARINÆ

Prestantissimi
BECKERI
Filiae

I. Junii
X.
autoribus.

E,
IANI THAM.